

Dominus, Dominus Deus, misericors et clemens.

Léctio libri Exodi

34, 4b-6. 8-9

In diébus illis:

^{4b} **D**e nocte consúrgens
Móyses ascéndit in montem Sínai,
sicut præcéperat ei Dóminus,
portans secum tábulas.

⁵ Cumque descendísset Dóminus per nubem,
stetit cum eo vocans in nómine Dómini.

⁶ Et transíens coram eo clamávit:
«Dóminus, Dóminus Deus,
miséricors et clemens,
pátiens et multæ miseratiónis ac verax».

[7]

⁸ Festínusque Móyses curvátus est pronus in terram
et adórans

⁹ ait:
«Si invéni grátiam in conspéctu tuo, Dómine,
óbsecro, ut gradiáris nobíscum;
pópulus quidem duræ cervícis est,
sed tu áuferes iniquitátes nostras atque peccáta
nosque possidébis».

Verbum Dómini.